

constantes, & simul ostenditur fundamentum quare semel inchoante fluxu ex uno crure effluxus ille continuo duret.

3. Curiosus est Siphon qui ex duobus cruribus compositus est, quæ crura in extremitatibus suis excipiuntur globo vitreo, cui firmiter annexa sunt, & quando crus minus aquæ imponitur & per alterum longius aqua prius infusa effluit, tunc fons continuo & jucunde saliens exhiberi poterit.

4. Poculum curiosæ speculationis est hoc, ubi nempe vinum vel aqua infunditur nec effluit: quando cunque autem ad certam magnitudinem effunditur, incipit effluxus per substratas canales & omne effluit liquidum, cum tamen in ipso poculo nulla cavitas oculis pateat, per quam in inferiores canales liquidum transire possit.

5. Curiosi siphonis paulo ante memorati & dicti diabetis structura in alio instrumento ostenditur.

DEMONSTRATIO XXXIII.

Aqua premit secundum altitudinem, non secundum molem, & quò columna aquæ altior est, eo major est pressio in siphonibus.

Experimenta.

1. Quo profundius unum crus siphonis submergitur aquæ, eò celerius aqua effluet per alterum, & vice versa.

2. Siphon Wurtembergicus magnus & parvus qui monstratur una cum fundamento, ubi simul detegitur inventionem nullius esse momenti.

F

3. Ex-